

P. RAMI ALGEBRÆ
LIBER PRIMUS A LA-
ZARO SCHONERO
emendatus.

CAP. I. QUID ALGEBRA ET QUÆ
ejus partes.

I Algebra est pars arithmeticæ, quæ é nume-
ris figuratos valores numerantibus numeratio-
nem propriam instituit.

*Figurati valores sunt numeri figurati, veluti la-
tus, quadratus, cubus, biquadratus, qui interdum
res numerabiles fiunt, cum eorum valores numera-
mus, veluti secundum unitatem numeramus 1 l.
1 q. 1 c. 1 bq. secundum multitudinis numerum 2 l.
3 q. 4 c. 5 bq. 6 qc. Quemadmodum denarios, asses,
libellas numeramus sic: 1 d. 2 a. 6 lb. De his nume-
ris dictum est 5 cap. de figuratis, ubi eorundem et-
iam fuit numeratio quadam, cui frequens adhibi-
ta est resolutio, sumpto quocunque valore lateris. A
qua resolutione algebra Græcis dicta fuit analyti-
ca, quibus absoluta Arithmetica dicebatur synthe-
tica. Nomen Algebra Syriacum putatur, signifi-
cans artem & doctrinam hominis excellentis. Nam
geber Syris significat virum, idque nomen interdum
est honoris, ut apud nos Magister aut Doctor. Et-
enim insignis mathematicus quidam fuisse fertur,
qui suam Algebram Syriaca lingua perscriptam ad
Alexandarum Magnum miserit, eamq; nomina-
verit Almucabalam, hoc est, librum de rebus oc-
cultis, cujus doctrinam Algebram alii dicere ma-
luerunt.*